



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1746. usque ad  
Annum 1749

**Luxemburgi, 1753**

XXI. Distinctio inter Causas Rotales, & Prælatitias, ac Jura Notariorum  
scribendi, & actitandi in illis respectivè præfiniuntur: & nova methodus  
statuitur in Auditorio Rotæ observanda, pro celeriori ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74761](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74761)



1746.  
Unde præ-  
sentibus con-  
firmantur, &  
ad omnes ubi-  
que loco-  
rum exten-  
duntur.

Clausulæ pro  
generali, &  
perpetua  
Literarum  
observantia.

Derogatio-  
nes.

De effectu  
publicatio-  
nis, & exem-  
plorum au-  
thoritate.

ab aliquibus temerè negatum fuit. Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa scientia, hujus Nostræ generalis Sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine, eandem præinsertas Literas iterum confirmantes & roborantes, decernimus & declaramus, memoratam praxim in se ipsâ, & ubique locorum ac temporum, Apostolica auctoritate reprobam atque damnatam esse, & cenferi debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato Nostro Brevis contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perversè interpretari, vel ipsi actû contraire; sub pœnis adversus tuentes, asferentes, aut tradentes opiniones scandalosâs, perniciosâs, & uti tales a Sede Apostolica rejectas & condemnatas, & respectivè adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesiasticis sanctionibus statutis atque præscriptis.

Decernentes eandem præinsertas, nec non præsentibus Nostras Apostolicas Literas, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & perpetuò fore, atque omnes ubique Terrarum cujusvis status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis, & tam sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjeutorum Ordinum, Institutum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos, afficere & arctare, ac suos ubique plenarios & integros effectus fortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exactè & inviolabiliter observari debere.

Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitate Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque auctoritate & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si fecus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis cuicumque Personæ, sive Ordini, Instituto, Societati, & Congregationi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujusmodi pro plenè & exactè observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus.

Ut autem eadem præsentibus, & in eis contenta quacumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætereundere possit; volumus easdem per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, aliisque consuetis

Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi, & affixas relinqui; quæ sic publicatæ & affixæ; omnes & singulos, quos concernunt; arctent & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hæc nostrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, & voluntatis infringere, seu eidem ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorè Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus Nostræ Anno Septimo.

Pro D. Card. Passionei.

Jo. Florius Substitutus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 5. Octobris anni 1746.

Distinctio inter Causas Rotaless, & Prælatitias, ac Jura Notariorum scribendi, & actitandi in illis respectivè præfiniuntur: & nova methodus statuitur in Auditorio Rotæ observanda, pro celeriori Causarum expeditione.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

JUSTITIÆ & pacis custodes, & adsertores, Non solum in universa Ecclesia Christi, sed etiam in subjectâ gubernio nostro Republicâ, a Deo constituti, in id liberent studia nostra conferimus, ut unicuique jus suum aqualiter reddatur; ut negotiorum, & Causarum, quæ in Romana potissimum Curia tractantur, & agitantur, ordinatissima ratio constet; sublatisque rerum confusionibus, & noxiis dilationibus, judiciales controversiæ non minus rectum, quam expeditum cursum, & finem obtineant.

Sanè, cum olim unumquodque Romanæ Curia Tribunal, proindeque Causarum quoque Palatii Apostolici Auditorium, suos proprios haberet Notarios, & dumtaxat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac ipsius Curia Prælati, quibus per speciales Romani Pontificis Commissiones peculiarium Causarum cognitionem interdum delegari contingeat, certos ac proprios Notarios non haberent; ideoque quilibet ipsorum ad scribendum, & actitandum in Causis Commissariis hujusmodi quemcumque malisset Notarium pro arbitrio suo assumere soleret; fel. recordationis Julius Papa II. Prædecessor Noster per suam perpetuò valituram Constitutionem, sub datum Kalendis Decembris Pontificatus sui Anno Quinto, de Fratrum suorum tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu editam, quæ incipit: *Sicut prudens*, Collegium centum

Sanctio.

Dat. Pont.  
an 7. die 28.  
Septembris  
1746.

XXI.

Exordium.

Collegium  
Scriptorium  
Archivii à  
Julio II. con-  
stitutum.

&



& unius Virorum, qui Scriptores Archivii prædictæ Romanæ Curie nuncuparentur, Apostolica auctoritate creavit, & instituit; quos quidem Scriptores voluit & mandavit Notarios deinceps esse omnium Judicum Commissariorum in Urbe, exceptis tantummodo ejusdem Romanæ Curie Judicibus Ordinariis, vel Delegatis, habentibus Notarios proprios, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quoad Causas coram eis vertentes, eisque commissas; in quibus quilibet eorum Notarios, quos mallent, dummodò essent authentici, & legitime creati, eligere & deputare valeret: Mox etiam per alias suas Literas, Idibus Decembris ejusdem Anni datas, statuit & declaravit, quod Judices Commissarii prædicti ad scribendum in Causis, & Litis eis Apostolica auctoritate commissis, & committendis quibuscumque, & coram eis vertentibus, prædictis Scriptoris Notariis Actuariis omnino uti deberent, nec alios ad scribendum in illis coram se admittere possent.

Cum privato jure scribendi in Causis Commissariis.

Quod a Pio V. extenditur ad Causas etiam Cardinalibus commissas.

Et ipsi Collegio datur facultas eligendi Notarios Actuarios.

Jus scribendi regulatur a qualitate Causarum, & Tribunalium.

Sed Causarum pertinentia nondum certa lege statuta.

Motus proprius hæc de re a Clemente VIII. signatas.

Postmodum Sanctæ memoriæ Pius Papa V. etiam Prædecessor Noster antedictam Julii II. Constitutionem confirmans, ac etiam ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales amplians, & extendens, per Schemam sui Motus proprii, sub datum videlicet quintodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui Anno quarto, propria manu signatam, inter alia concessit & statuit, ut deinceps in omnibus, & quibuscumque Causis coram prædictis Judicibus, etiam Cardinalibus, quomodocumque habendis & agitantibus, Collegium ipsum Scriptorum Archivii Romanæ Curie Notarios idoneos, qui in ejusmodi Causis scriberent, constituere deberet; nullique omnino ipsorum Judicium, etiam Cardinalium, alios Notarios, etiam dicti Archivii Scriptores, in Causis hujusmodi pro arbitrio constituere possent; sed eos dumtaxat assumere tenerentur, quos Collegium præfarum suo ex gremio in genere, vel in specie duxisset eligendos.

Et si autem ex ipsarum Constitutionum serie planè appareat, jam tunc id esse constitutum, ut jus scribendi, & actitandi in Causis, quæ Auditorio Rotæ committuntur, ad ipsius Rotæ Notarios, ut antea, pertineat; in aliis verò Causis, quæ committuntur in Curia Prælati, & Cardinalibus, vel etiam Congregationibus particularibus, scribere & actitare debeat Notarius a Collegio Archivii prædicti deputatus; quod etiam confirmatum dignoscitur a recollectæ memoriæ Prædecessore Nostro Urbano Papa VIII., qui per suas Literas in forma Brevis, datas die 22. Februarii Anni MDCXXXI. Pontificatus sui Anno octavo, auditis Paribus in Signatura sua Gratiæ, die 4. ejusdem mensis Februarii habita, Apostolica auctoritate declaravit, Causas pro tempore committendas Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, uti Prælati, sive cum clausula: *Eriam extra Rotam, & absque participatione Rotæ, sive absque clausula hujusmodi, spectare ad Officium Archivii prædicti, ejusque Notarium in illis scribere debere; in Causis verò committendis Auditoribus prædictis, etiam extra Rotam, & absque participatione Rotæ, non tamen uti Prælati, jus scribendi esse penes ejusdem Rotæ Notarios.*

Hactenus tamen nemo Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, genera Causarum hujusmodi discernendo, constituit, quænam Causæ Auditoribus Rotæ, uti Auditoribus, sint committendæ; quæ autem aliis prædictæ Curie Prælati, vel ipsi Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælati, committi possint. Quamvis enim, sicut accepimus, per memoriæ Clementis Papa VIII. Noster etiam Prædecessor, hujusmodi definitionem, & separationem aggressus, Schemam quandam sui Motus

proprii sub datum Tusculi Kalendis Octobris Pontificatus sui Anno decimo propria manu signaverit; in qua singula Causarum genera expresserat; quæ ad præfarum Rotæ Tribunal, privatè quoad aliam quemcumque Romanæ Curie Judicem, pertinere volebat: Hæc tamen Schemata nunquam Legis vim, auctoritatem, & efficaciam habuisse dignoscitur; quum nec super eâ debita Literarum Apostolicarum expeditio sequuta fuerit; sed ipsa dumtaxat in Regestis Supplicationum Dataria Apostolica remanserit: Neque verò deinceps Causarum Rotarum a Prælatiis distinctio ad præscriptum relata Schemata, sed juxta consuetudinem & styli Curie, ut antea, processerit: Quinimmo quum olim, pro parte Collegii Notariorum Rotæ, similis memoriæ Alexandro Papa VII. Nostro item Prædecessori humiliter supplicatum fuerit, ut plenam executionem, & observantiam prædictæ Schematæ, juxta omnem illius seriem, & continentiam, præcipere dignaretur; idem Alexander Prædecessor instantiam hujusmodi rejecit, edito desuper rescripto: *Nihil innovari.*

Verum ex hoc ipso, quod hujusmodi Causarum distinctio nullius certæ legis stabili ordinatione firmata, stylo dumtaxat, & consuetudini in prædicta Curia pro tempore vigentibus inniti consuevit; facile adducimur, ut credamus, aliquas variationes, & innovationes, quoad ipsius divisionis observantiam, successu temporis induci potuisse; quum, & sæpè alias in Signatura Nostra Justitiæ, super eadem observantia, & consequenter super competentia Tribunalium, & Judicium in Causis particularibus, audita fuerint controversiæ; & ipsi Tribunalium, & Judicium respectivè Notarii, pro suo quisque jure, & interesse, Pontificiam Prædecessorum Nostrorum, & Nostram providentiam imploraverint. Novissimè verò quum inter dilectos Filios Collegium Notariorum Causarum Palatii Apostolici ex una, & Collegium Scriptorum Archivii prædicti ex altera Partibus, orta fuerit lis, & controversia de, & super Causarum diversi valoris, & generis, nec non juris scribendi in illis, respectivè pertinentia, Nos hujusmodi controversiam, ad Nos, & ad Signaturam nostram Gratiæ avocatum, in ipsa Signatura coram Nobis die 19. elapsi mensis Julii habita examinavimus, & rationibus hinc inde deductis maturè seduloque perpensis, tunc quidem rescribendum duximus, quod *data foret resolutio in Camera*; simul autem animo constituimus, veterem non scriptam prædictæ Curie consuetudinem ad Legem scriptam redigere; ut quum, ad tramites hujusmodi Legis, in posterum evidentè apparuerit, quænam sint Causæ, quæ, utpotè graviores, committendæ sunt Auditorio Rotæ, ut ibi collegiali plurium Personarum examine, & judicio decendantur; & quæ sint aliæ, quæ, tamquam minus graves, aliis Romanæ Curie Prælati extra Rotam, vel etiam ipsi Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælati, committi debent; jam dubitari nequeat, quibus in Causis prædictæ Rotæ Notariis, vel potius Archivii Notario, scribendi jus respectivè competat.

Itaque nunc stabili, & congruo rerum ordini, nec non omnium in præmissis interesse habentium indemnitati consulere volentes, prædictamque controversiam penitus & omnino extinguentes, ac utrique Parti perpetuum silentium desuper imponentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolica potestatis plenitudine, hæc Nostra perpetuo valitura Constitutio statuimus, & declaramus, Causas omnes graviores, quæ in Romana Curia, tam in Tribunali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Nostri, & Romani

Vim Legis, & effectum non obtinuit.

De necessitate hujusmodi Legis condendæ.

Causa coram Pontifice in Signatura Gratiæ discussa.

Quæ dat causam Legi per prælatum statuendæ.

Pontifex ad-judicat Rotæ Causas graviores in Urbe judicatas, in secunda, & ulterio-ribus instantiis.



pro tempore Pontificis in Urbe, ejusque Districtu, Vicarii in spiritualibus Generalis, quam in Tribunali Caesarum Curiae Camerae Apostolicae Generalis Auditoris, in prima instantia judicata, & definita fuerint, in secunda, seu alia ulteriori instantia nullatenus Praelatis extra Rotam, nec ipsis Rotae Auditoribus, uti Praelatis, sed quidem tam in petitorio, quam in possessorio Judicio, ejusdem Rotae Auditorio omnino esse, & fore committendas. Ubi vero Causae graviores hujusmodi ad Romanam Curiam deferantur in gradu Appellationis a Sententiis, & Judicatis quorumcumque Judicium de Partibus, decernimus, liberum quidem esse Parti appellanti, pro suo arbitrio, vel eas immediate ad ipsum Rotae Auditorium committi facere, vel, si maluerit, ad praedictum Cardinalem Vicarium, seu ad Caesarum Curiae Camerae praedictae generalem Auditorem, juxta horum duorum Tribunalium congruas facultates, appellationem interponere: Verum deinde, si ulteriori appellationi locus sit, volumus eas praedictae Rotae Auditorio, nunquam autem Praelatis extra Rotam, neque ipsis quidem Rotae Auditoribus, uti Praelatis, committi posse.

Item graviores de partibus, in secunda instantia, arbitrio Appellantis.

In ulterioribus vero instantiis, cum privata.

Causas minus graves in Urbe judicatas, in secunda, & ulterioribus instantiis, Praelatis, extra Rotam.

Sed illas de partibus in secunda instantia, Card. Vicarii, sive A. C.

Praelatis autem in ulterioribus.

Salvis facultatibus Signaturae Justitiae.

Quae Causae censendae sint graviores.

Contra vero Causae minus graves, super quibus in prima instantia in alterutro Tribunalium praedictorum Romanae Curiae, nimirum Cardinalis Vicarii, aut Caesarum Curiae Camerae Apostolicae Generalis Auditoris, definitive pronuntiatum fuerit, volumus, atque statuimus, ut in gradu appellationis, tam in judicio petitorio, quam in possessorio, omnino committi debeant Praelatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotae Auditoribus, non tamen uti Auditoribus, sed dumtaxat uti Praelatis: Quod si Causae hujusmodi a Judicatis, & Sententiis Judicium de Partibus ad ipsam Romanam Curiam delatae sint, primo quidem in gradu appellationis earum cognitio ad Cardinalis Vicarii, aut praefati Auditoris Generalis Tribunal, juxta utriusque Tribunalis respectivas facultates, spectet, atque pertineat: In ulterioribus vero Instantiis, quatenus ipsis locus sit, hujusmodi Causae omnino committi debeant Praelatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotae Auditorio: Salva nihilominus Partibus colligantibus facultate recurrendi ad Signaturam Nostram Justitiae in casibus purgationis Spolii, attentatorum, & nullitatis praedictorum Judiciorum, aliorumque Decretorum, & Actorum, quorum propterea circumscriptio coram eadem Signatura Justitiae petatur; in quibus sane casibus, integrum sit eidem Signaturae, praedictas Causas minus graves committere alicui ex Praelatis, aut eas remittere ad Cardinalem Vicarium, aut Caesarum Curiae Camerae praedictae Generalem Auditorem, prout ipsarum Caesarum qualitates, & dictorum Tribunalium facultates respective exegerint.

Porro Causae graviores, & consequentes Rotaes, & non Praelatiae, ut supra, censendae, & ceteri debeant Causae omnes, in quibus agitur de Jurisdictionibus, exemptionibus, adoptionibus, sponfalibus, filiationibus, legitimatibus, praeminentiis, & praecedentiis, Juribus quoque Patronatus, aliisque honorificis nominandi, eligendi, conferendi, & similibus, aut de Juribus decimandi, quotizandi, aliisque similibus: Causae quoque servitutis personalis, & generaliter omnes, & singulae Causae pecuniariae & profanae, tum Citramontanae, tum de Partibus ultra Montes positae, infra scriptam summam respective attingentes, Citramontanae nimirum, si & quatenus earum valor, & aestimatio ad summam, & quantitatem quingentorum scutorum auri, aliae vero de Partibus ultra Montes, dummodo ipsarum valor, & aestima-

tio ad summam mille scutorum auri similium, respective ascendat.

Item Causas graves, & consequenter Rotaes, ac minime Praelatias, ad praemissorum effectum, decernimus intelligendas esse & fore Causas illas Beneficiales, in quibus agitur de Titulo Beneficii, ac de Jure in re, vel ad rem, nempe ad ipsum Beneficium; sicut etiam Causas super Pensionibus Ecclesiasticis, aut super reservationibus fructuum, reddituum, & proventuum Beneficiorum Ecclesiasticorum; quoties annuus valor Beneficii litigiosi, ac respective annua Pensio, aut quantitas fructuum reservationum, summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera excedat; easque praeterea Causas, in quibus agitur de primis Dignitatibus Ecclesiarum, nempe de Dignitate post Pontificalem majore in Cathedralibus, aut de Dignitate principali in Collegiatis Ecclesiis, cujuscumque valoris Dignitas hujusmodi existat; omnesque hujusmodi Causas, utpote graviores, inter Rotaes, non autem Praelatias, volumus accenseri.

Graviores itidem Causas esse declaramus, & ceteri debere statim omnes Causas Matrimoniales, tam super federe Matrimonii, quam super divortio; nec non Causas omnes super nullitate Professionis Regularis emissa; & has quidem nunquam Praelatis, neque Rotae Auditoribus, uti Praelatis, quantumvis accedente consensu Partium, committi volumus; sed aut ipsi Rotae Auditorio committi, aut a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium interpretationi, & executioni Decretorum Concilii Tridentini praeposita, vel etiam, quoad Causas nullitatis Professionis praedictae, a Congregatione ejusdem S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, pro arbitrio, & ad electionem Partis appellantis, seu recurrentis, cognosci & definiti mandamus; non obstantes, quod Causae hujusmodi de sui natura & qualitate, Processum judicarium, atque etiam formale Testium examen, exigant vel requirant; quemadmodum, quoad Causas Matrimoniales hujusmodi, Nos dudum per aliam Nostram Constitutionem, qua incipit: *Dei miseratione Tertio Nonas Novembris Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXII*, Pontificatus Nostri secundo, editam, statuimus & ordinavimus.

Causas autem minus graves, adeoque Praelatias, & non Rotaes, ut supra, censendas esse & fore decernimus omnes Causas pecuniarias, aut profanas, quarum valor vel aestimatio, quoad Citramontanas, summam quingentorum scutorum aureorum, quo vero ad Causas de Partibus ultra Montes, mille scutorum auri similium summam non attingat: Itidem Causas Beneficiales, aut super Pensionibus Ecclesiasticis, seu reservationibus fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, ubi valor annuus Beneficii, aut annua Pensio, vel quantitas fructuum reservationum, summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedat, ac dummodo non agatur de Dignitate post Pontificalem majore in Cathedrali, aut principali in Collegiata Ecclesia.

In Censuum autem, Canonum, & Servitutum Causis, ut pro earum valore aestimando, ac determinanda consequenter earum pertinentia, certam similitur, & aequam regulam, & normam tradamus; decernimus, atque statuimus, ut ubi agatur de Censibus redimibilibus, & ad formam Constitutionis praedicti Pii Papae V. creatis seu constitutis, & Census ipse in controversia versetur, attendenda sit quantitas, seu valor sortis, sive proprietatis Censuum hujusmodi: Ubi vero controversia sit de aliquo

De causis Beneficialibus.

De causis Matrimonialibus, & super nullitate Professionis Regularis.

Haec nunquam Praelatis committantur.

Causae minus graves quam censendae sint.

Qua ratione aestimandus sit valor Caesarum super Censibus, Servitutibus &c.



Censu reservativo, Canone, Livello, aut aliqua annua, & perpetua praestatione, tamquam debita ex certo fundo, nunc volumus haberi rationem valoris ipsius fundi, super quo, sive ex quo huiusmodi Censu, seu Canon, Livellum, aut praestatio, constituta, reservata, seu alias quoquo modo debita fuerint: In Causis autem Servitutis realis aut mixtae, considerandum esse volumus valorem praedicti, super quo Servitus ipsa contenditur: Ad hoc nimirum, ut singulae Causae huiusmodi, pro earum respectiva aestimatione, & prout ex partibus citra, vel ultra Montes fuerint, juxta ea, quae in superioribus praescriptis, Rotalis, aut Praelatitiae censeantur.

Volumus tamen, atque concedimus, ut, salvis & exceptis, ut supra, Causis Matrimonialibus, & super nullitate Professionis, in quibus ne consensus quidem Partium erit attendendus, in ceteris omnibus Causis praedictis, liceat & integrum sit Partibus colligantibus inter se concordare, & consentire, quod Causa etiam minus gravis, & de sui natura, & qualitate, ut praediximus, Praelatitiae, Auditorio Rotae committatur; & e converso, quod Causa etiam gravior, & de sui natura, ut praescriptum, Rotalis, committatur alicui Praelato extra Rotam: Utque ad huiusmodi effectum consensus Partium attendatur: Hoc tamen statuentes, ut consensus huiusmodi a legitimis earundem Partium respectivè Procuratoribus expressè praestitus appareat a tergo Commissionis, nec aliter: Ac decernentes, quod quoties Partes colligantes consentiant, ut causa aliqua gravis, & de sui natura Rotalis, ut supra, alicui Praelato committatur, possit quidem Causa ipsa in vim talis consensus committi cuilibet Praelato in Curia extra Rotam, nunquam autem alicui ex ipsius Rotae Auditoribus, uti Praelatis.

Quod autem attinet ad Causas, quae ad Forum Curiae Capitolii, ex praescripto Statutorum Urbis, & privilegiorum Populi Romani, pertinere dignoscuntur, declaramus Causas huiusmodi tam graves, quam minus graves, nunquam ab ipsa Curia Capitolii avocari, nec ipsi accedente, ut supra, communi omnium Partium colligantium consensu, praedicto Auditorio Rotae, aut alteri cuicumque Judici extra Rotam committi posse.

Causis itaque Rotalibus a Praelatitiae sic, ut praemissimus, distinctis atque discretis, consequens est, ut pertinentiam quoque Juris scribendi, & actitandi in praedictis respectivè Causis congrua ratione discernamus: Quocirca statuimus, & simili modo declaramus, atque decernimus, Jus scribendi, & actitandi in singulis respectivè Causis, Notario, seu Notariis illius Tribunalis, vel Judicis, cui singulae Causae pro tempore commissa remanebunt, omnino competere, affectumque esse, & fore: Itaut in omnibus, & singulis Causis, sive ob earum naturam, sive propter Partium colligantium consensum praedictae Rotae Auditorio pro tempore commissis, & committendis, ipsius Rotae Notariis, privativè quoad ceteros quoscumque Notarios, etiam Collegii Scriptorum Archivi, & Curiae Capitolii: Contra verò in omnibus, & singulis Causis, quae ob earum naturam, vel de Partium colligantium consensu, Praelatis extra Rotam, vel, tamquam de sui natura Praelatitiae, ejusdem Rotae Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Praelatis, commissa fuerint, Notarius Archivi, privativè quoad alios quoscumque, & signanter quoad Rotam, & Curiam Capitolinam Notarios, scribere debeant, & actitare.

Item praedictus Archivi Notarius, privativè quoad quoscumque alios, scribere debeat in Causis cujuscumque qualitatis, aut valoris, quae per specialem Commissionem manu Nostra, aut

Successorum Nostrorum signatam, commissa sunt, seu committentur alicui ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut alicui Congregationi, sive ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, sive Romanae Curiae Praelatorum specialiter deputatae, excepta dumtaxat Congregatione memorati Tribunalis Auditoris Generalis Causarum Curiae Camerae Apostolicae proprios Notarios habentis.

Quocirca Officiali super revisione Commissionum nunc & pro tempore deputato, per easdem praesentes injungimus, & districtè praecipiendo mandamus, quatenus ex nunc antiquum Curiae stylium, alias religiosè servatum, omninò resumens, nullam in posterum Commissionem ad Rotam directam in Causis pecuniariis, aut profanis relaxet, seu transitum habere sinat, nisi expressam habeat clausulam: *Attento quod agitur de Causa citra Montes ascendente ad valorem quingentorum scutorum aureorum*, & respectivè in Causis profanis ultra Montes, nisi habeat clausulam: *Attento quod agitur de Causa ultra Montes ascendente ad valorem scutorum mille auri*. Itidem diligenter attendat, ne transitum habeat aliqua Commissio in Causis Beneficialibus Rotae directae, nisi habeat clausulam: *Attento quod agitur de Beneficio*, aut de Pensione, *excedente annum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera*: vel, *Attento quod agitur de prima Dignitate in Cathedrali, vel Collegiata*.

Pari ratione diligenter observet, ut in Commissionibus ad Praelatos extra Rotam, vel etiam ad ipsius Rotae Auditores uti Praelatos dirigendis, si agatur de Causis pecuniariis, aut profanis, adsit clausula: *Attento quod agitur de Causa citra Montes infra valorem quingentorum scutorum mille aureorum*; seu, *Ultra Montes infra valorem scutorum mille aureorum*: Si verò agatur de Causis Beneficialibus, expressa sit clausula: *Attento quod agitur de Beneficio*, seu de Pensione, *non excedente annum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera*.

Si verò contingat, quod aliqua Causa, quae propter ipsius qualitatem, aut valorem, praedictae Rotae Auditorio committenda esset, ob Partium colligantium consensum, alicui Praelato extra Rotam committatur; vel contra, aliqua Causa ad forum Curiae Capitolii pertinens, seu propter ipsius qualitatem, & valorem alicui Praelato extra Rotam committenda, ob huiusmodi Partium consensum, Rotae committatur: In singulis Causis praedictis idem Officialis ad Commissionum revisionem deputatus advertat, ut in Commissione adsit clausula: *Attento consensu Partium*. Et quod a tergo Commissionum huiusmodi dictus consensus per Procuratores Partium colligantium, prout superius praescriptum, verè sit praestitus: Quod si Officialis praedictus in praemissis, vel eorum aliquo, injunctum sibi munus neglexerit, omnes & singulas expensas, etiam extrajudiciales, a Partibus factas, tam pro ipsa mendosa Commissione, quam pro quibuscumque actibus inde secutis, eisdem Partibus reficere, ac de suo omninò solvere teneatur, ac praeterea penam remotionis ab officio, seu privationis ejusdem, arbitrio Nostra, & Successorum Nostrorum incurrat.

Et quidem huiusmodi decretorum & statutorum Nostrorum formam, in quibuscumque Causarum Commissionibus, quas in posterum post praesentium publicationem expediri contingerit, omninò servari volumus, & jubemus. Quo verò ad Commissiones, quae jam nunc expeditae & in Causa positae, vulgò *incassatae*, reperiuntur, declaramus praemissas Nostras leges & ordinationes locum dumtaxat habere, quatenus in ipsarum Commissionum sequelam

Congregationibus deputatis.

De officio Revisoris Commissionum, quoad Causas Rotalis.

Quoad Causas Praelatitias.

Quoad Commissiones de consensu Partium expeditas.

Praemissa quatenus procedant & efficiant.



nondum transportata sint acta, & reproducta citatio ad dicendum contra jura coram Judice, cui directa est commissio; Quod si acta jam sint transportata, & citatio hujusmodi coram præfato Judice jam reproducta fuerit, volumus ipsam respectivè Commissionem, licet contra decretorum Nostrorum formam expedita appareat, firmam remanere, usque ad illius instantiæ consummationem, non tamen ultra; itaut in altera ulteriori instantia præsentis Nostræ Constitutionis præscriptum omnino servari debeat, & adimpleri.

Commissio-  
nes contra  
formam præ-  
sentium ex-  
pedite, nisi  
signatæ sint  
manu Ponti-  
ficis, irritan-  
tur.

Cæterum omnes & quascumque Commissiones, quas deinceps aut Rotæ, aut Prælati, contra formam & præscriptum earundem præsentium, respectivè dirigi contingat, nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris vel momenti fore, nullamque jurisdictionem eidem Rotæ, aut Prælati prædictis tribuere posse, harum serie decernimus & declaramus; nisi fortè signatæ fuerint manu Nostræ, aut Successorum Nostrorum, quibus semper integra erit, plenaque, & libera potestas committendi quascumque causas, cujuscumque naturæ, qualitatis, & valoris existant, vel sæpedito Auditorio Rotæ, vel alicui Congregationi particulari, vel S. R. E. Cardinalibus, seu Romanæ Curie Prælati, aut alii cuicumque, etiam simplici Doctori, prout Nobis, aut eisdem Successoribus nostris, magis visum fuerit salubriter expedire.

Nova metho-  
dus in Rota  
servanda, pro  
celeriori cau-  
sarum expedi-  
tione.

Ad hæc celeriori Causarum in præfato Auditorio Rotæ vertentium expeditioni, quæ, propter facile contingentem in pari judicantium numero suffragiorum æqualitatem, aliquando nimis diu protrahi & retardari dignoscitur, per Nostræ auctoritatis & providentiæ remedia prospicere volentes; eisdem motu, scientia, ac tenore, statui-  
mus & mandamus, ut, firmo remanente stilo, seu consuetudine, proponendi pro prima vice omnes Causas in Turno ordinario, in quo quatuor Causarum hujusmodi Auditores suffragium ferant, si tamen in posterum, in prima seu ulteriori alicujus Causæ propositione, propter prædictam suffragiorum æqualitatem, decisiva resolutio prodire nequeat, non amplius hujusmodi Causa cum iisdem quatuor suffragiis reponatur; itaut, coæquatis forsitan iterum suffragiis, rescribi deinde oporteat, ut hæcenus rescriptum fuit: *Videant quintus & sextus*; sed statim ab ipsa prima vice rescribi volumus: *Iterum proponatur, & videant quintus, sextus, & septimus*, ad hoc nimirum, ut in altera Causæ propositione omnino prodeat illius resolutio; Decernentes ipsam hujusmodi Causam semper deinceps cum quinto, sexto, & septimo, usque ad extremam illius definitionem, remanere.

Quid in Cau-  
sis, quæ pro-  
ponuntur vi-  
dentibus  
omnibus.

Quia verò interdum evenit, ut Romanus Pontifex aliquam Causam eidem Causarum Palatii sui Auditorio committat, cum clausula: *Videntibus omnibus*, aliæque plures Causæ jam in Turno ordinario, sive etiam suffragantibus quinto & sexto, discussæ, ob iteratam suffragiorum coæquationem, de mandato ipsius Rotæ, ab omnibus videri debeant; nè fortè hujusmodi quoque Causarum resolutionem, divisis æqualiter omnium suffragiis, ut nonnunquam accidit, adhuc retardari contingat; volumus pariter, atque præcipimus, ut quoties in aliqua Causa, vel ex speciali Commissione Romani Pontificis, vel ex rescripto ipsius Rotæ, omnes Auditores suffragium ferre debent, si Auditores suffragia ferentes disparis numeri existant, antiquus stilo servetur, nimirum quod Auditor proponens suffragium non ferat; Si verò suffragia ferentes sint numeri paris, vel casu aliquo ad numerum parem reducantur, debeat tunc in ipsa Causa suffragium ferre etiam Auditor proponens, ad hoc ut ipsius Causæ resolutio semper & omnino sequatur, nec de cætero, videntibus omnibus, suffragia coæquari possint.

Clausulæ pro  
Literarum  
perpetua fir-  
mitate.

Decernentes easdem præsentibus, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de sub-

reptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vicio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo, solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, aut quocumque alio colore, occasione vel causa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessarii exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque Juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari posse, nec sub ullis specialibus, vel generalibus similibus, vel diffiniis gratiarum revocationibus, modificationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firma, & efficacia existere & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, & adimpleri debere.

Sicque, & non aliter, in præmissis omnibus & singulis per prædictos & alios quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, in quavis Causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiti debere; irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta in-  
ritantia, sub-  
lata cui-  
bet secus ju-  
dicandi fa-  
cultate.

Quamobrem Dilecto Filio Magistro Clementi Argenvillieres, Nostræ, & pro tempore existenti Romani Pontificis Auditori, per eandem præsentibus committimus, & injungimus, quatenus hujusmodi ordinationem, declarationem, statutum, aliæque præmissa perpetuò ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter & inviolabiliter observari, & adimpleri faciat, & mandet: non permittens eos, quorum favore illa respectivè concernunt, in præmissis quomodolibet indebitè molestari.

Executio  
committitur  
Auditori  
Sanctissimi.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quarumcumque Urbis Curiarum, & Tribunalium, etiam Auditorii præfati Causarum Palatii nostri Apostolici, ac Notariorum ejusdem, & Scriptorum Archivi respectivè Collegiorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis respectivè statutis, reformationibus, legibus, usibus, stiliis, & consuetudinibus, quantumcumque tempore observatis & toleratis; privilegiis quoque, Indultis, concessionibus, facultatibus, & Literis Apostolicis quibusvis Superioribus, Tribunalibus, Judicibus, & Personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis; aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac ex titulo oneroso, aut aliis quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanuris, ad præmissorum omnium

Contrariis  
amplissime  
derogatur.



Præservantur  
Cumulative,  
Privative  
cuiuslibet jure  
competen-  
tes.

Publicatio-  
nis effectus,  
& exemplor-  
um aucto-  
ritas.

Sanctio.

Dat. Pont.  
An. VII. die  
9. Octob.  
1746.

& singulorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expressè, ac latissimè & plenissimè, harum serie derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Per præfentes autem nostras Literas non intendimus cuicumque cumulative, aut private Jurisdictioni, S. R. E. Cardinalibus, nec non Curie Causarum Camera Apostolicæ, aliisque dictæ Urbis Curis, & Tribunalibus, ac Congregationibus, & Judicibus, in vim alicujus Constitutionis Apostolicæ, attributæ & competentis, in aliquo præjudicare.

Ut verò præfentes Literæ, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus & decernimus, easdem præfentes ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, aliisque locis solitis & consuetis, per aliquem ex Curforibus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui: Quæ sic publicatæ & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt, in Urbe commorantes, perinde afficiant & ardeant, ac si illorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transumptis & exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in Judicio & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus originalibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ Definitionis, Declarationis, Divisionis, Ordinationis, Statutorum, Decretorum, & Voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorè in Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., 6. Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passioneus;

J. Datrius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✱ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 16. Octobris 1746.

XXII.!

Divisio Territorii Episcopatus Fluminis Januarii in Brasilia, & nova erectio Episcopatum Mariannensis, & Sancti Pauli, nec non Prælaturarum Gojasiensis, Cujabaensis etiam in Brasilia.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

Proœmium.

GANDOR lucis æternæ, & Imago Bonitatis Divinæ Unigenitum Dei Filius Jesus Christus Dominus Noster illuminans mirabiliter de excelso sancto suo usque ad longinquum Orbem terrarum suscitavit in corde Charissimi in Christo Filii Nostri Joannis hoc nomine Quinti Portugallia, & Algarbiorum Regis Illustris spiritum Sapientia, & Intellectus, ad manifestandum Gentibus magnalia supernæ virtutis suæ; ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus conspexor sæculorum; & ad confortandum habentes mysterium Fidei, illosque dirigendum ad viam salutis ambulantes in lenitate Nominis sui.

Hoc sanè spiritu ductus Joannes Rex præfatus mentis suæ aciem convertit ad partes Americae Dominio suo in temporalibus subiectas, prospiciensque in Provincia Brasiliensi Fluminis Januarii Diocesim, benedicente Domino, per manus evangelizantium Nomen sanctum ejus a primava sui Episcopatus fundatione eò longitudinis protentam, ut à remotioribus illius Locis preces, & querelæ Populorum ad Antistitis auditum, anno nisi transacto, pervenire nequeant; hinc timendum, ne qui fuerunt aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ambulent vigilantes, ut filii lucis, & per bona opera certam suam vocationem, & electionem facientes; sed rursus abalienati sint in confusionem, & facti abominabiles; unde illud Prophetæ inducatur super eos: *Abducti sunt quasi Grex: Affligentur, quia non est eis Pastor, nisi ille, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod fiat, non emutiet:* Nobis propterea per dilectum filium Emanuelelem Pereyra de Sampaio Commendatorem Militiæ Domini nostri Jesu Christi regis Lusitaniæ negociis apud Nos, & Sanctam Sedem Præpositum nuper exponi fecit, quòd, si amplissima Diocesis hujusmodi in unum Fluminis Januarii jam existentem pro uno, & in alium in Sancti Pauli pro alio, ac in reliquum Episcopatus in Marianna Civitatibus dictæ Diocesis, ut infra, erigendos, pro reliquo Episcopis, & Pastoribus: nec non in unam super Gojasiensi pro uno, ac in alteram Prælaturæ similiter, ut infra, erigendas super Cujabaensi territorii ejusdem Diocesis pro altero Prælatis divideretur, qui Populos suæ cura respectivè commissos, vel de potestate tenebrarum eriperent perducetes eos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni; vel transcensis Fidei rudimentis erudirent ipsos in operibus justitiæ, ea, quæ sursum sunt, quærendo, & ea, quæ sursum sunt, sapiendo; ex hoc profectò tot incommodis præfatis, tantis animarum periculis, & spirituali eorundem profectui opportunè consultum foret.

Hæc ut percepimus, primùm manus nostras levavimus ad eundem Unigenitum Dei Filium, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, gratias enixè agentes de tam ferventi præfati Joannis Regis Charissimi Filii Nostri, Filii verè in Christo Charissimi, spiritu sibi cælitus effuso: inde ad Pastora'em sollicitudinem nostram respicientes, votis ejusdem Joannis Regis Catholica pietate dignis Nobis superius expositis propensius, ac celeriter annuimus.

Quare in præmissis, ut præfertur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriose ejus Genitricis Mariæ, totiusque Curie Cælestis honorem, & ipsius Fidei Catholicæ exaltationem dignam Diocesim Fluminis Januarii in quinque partes dividimus.

Ac unam antiquo Episcopatu Fluminis Januarii relinquimus, quæ ab infra scripta Diocesi Sancti Pauli versus Austrum per limites Præfecturarum secularium Fluminis Januarii, & Sancti Pauli usque ad fluvium Paraibam separetur; inde per istummet fluvium usque ad Cataractam majorem, quæ per montes ad campestria Goaitacatum dicta erumpit; a loco verò Cataractæ præfate per summos eorundem montium vertices a Mariannensi Diocesi infra scripta determinata remaneat, donec Archiepiscopatus Sancti Salvatoris territorium attingat, cum quo idem servet confinium dictus Episcopatus Fluminis Januarii, quod hæc tenens habuit.

Ac aliam Episcopatu Sancti Pauli, cujus cum alia Fluminis Januarii usque ad Paraibam supra indicati sunt limites, quæque ex illo fluvio

1746.  
Sollicitudo  
Regis Portu-  
gallia, ut  
ejus subditi  
in America  
Episcopum  
vicinum ha-  
beant.

Peritio a  
dicto Re-  
ge Pontifici  
facta super  
divisione  
Episcopatus  
Fluminis Ja-  
nuarii.

Sensus Pon-  
tificis.

Qui Diocesi-  
m Fluminis  
Januarii in  
quinque di-  
vidit partes.

Unam anti-  
quo Episco-  
patu relin-  
quit.

Assignat se-  
cundam Epi-  
scopatu  
Sancti Pauli.

usque